Vitellii Iacobi Augustā Regni Iuli-
citas —

AVGVSTA REGNI FÆLICITAS,

In primo Supremæ Maiestatis aditu, & celeberrima inauguratione

Sereniss: & Inuictiss: Monarchæ & Dñi,

D. VLADISLAI IV.

REGIS POLONIÆ,

MAGNI DVCIS LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQ.

Nec non

SVECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆ, Hæreditarij REGIS. Electi Magni Ducis MOSCOVIÆ.

Ex Heroicis suæ Maiestatis virtutibus, officioso cultu, & humili veneratione,

A Professore Eloquentiæ, Fundationis Illustriss: Tylicij Episc: Crac. In Acad: Crac. IACOBO VITELLIO, *Canon: S. Annæ,*

CONCINNATA.

Expressa,

Impensis Generosi Dñi. BARTHOLOMÆI NOVODWORSKI, Equitis Melitensis, Commendatoris Posnaniensis.

DIvi immortales festinauerunt virtutes tuas, ad gubernacula Reipub. quam susceperas, admouere: precor igitur, vt tibi & per te generi humano prospera omnia & digna sæculo tuo contingant. *Plinius Junior Traiano Augusto. lib: 10. Epist: 1.*

FÆLI-

FÆLICITAS AVGVSTA.

SI quod vnquam post hominum memoriam tempus fuit, quo florentissimo isti Regno fælicitas, & Diuini numinis benignitas, & Amplissimorum Ordinum autoritas, ac Prudentia declarata sit: hoc profectò Regalibus auspicijs & patriâ fortunâ consecratum tale est, quo Diuino & humano consensu, cõmuni orbitati, & publicæ consultum est necessitati. Namq; Sereniss: VLADISLAVS, in quem tot Regnorum spes, tot populorum studia, nationũ vota, incubuerant: ille Europæ totius propugnator, Osmani terror, Moschorum perdomitor, honorificentissimo lectissimi Senatus Decreto, nobilissimorũ Ordinum pergrato assensu, in solio auito, atq; paterno, fausta omniũ acclamatione collocatus.

O non frustra suscepta bonorum omnium vota, ô non vanam exterorum etiam expectationem, quæ cum temporis diuturnitate prorogari potuit; ex hominum autem sensibus, varietate vẽtorum popularium in diuersa impellente, non potuit extirpari. Quid est quod aut Patriæ cariùs, aut Ordinibus Amplissimis optatiùs, aut saluti fortunisq́; omnium, etiam exterorum accom̃odatiùs esse possit. Patria tot incom̃odis, difficultatibusq́; affecta, in Regis Clemẽtissimi æquitate perfugium habitura, tot Prouinciarum victor Polonus, militarium laborum æstimatorem beneficum, literæ propagatorem munificum, nationes exteræ, quæ oppositu laterum nostrorum, ab hostili arcentur impressione, perpetuum otij & quietis communis propugnatorem: Vita deniq́; & communes fortunæ, iniuriarum, ac mutuæ offensionis æquissimum cognitorem. Iam nunc mente & cogitatione prospicio, quanta agri vbertate, quantâ vrbes & oppida affluentia, quam pacata omnes prouinciæ tranquillitate, etiam sola Sar-

matiæ

matiæ vltima, quali & quanta, à metu hoſtili ſecuritate florere, propagari, & conquieſcere debeant. Intellectum eſt enim in luce & oculis, cùm Senatus Prudentiſſimi, tùm Ordinum Nobiliſſimorum, in poſtulando eo honore, Sereniſſimo ita conſtitutum ac deliberatum eſſe, eo pacto gerendum ſummum Imperium, quo vno modo grauiter & liberè geri poteſt, nec ſe ad eam rem vlla ambitione dominandi, duntaxat Patriâ caritate, aut ſalutis communis cupiditate, & vna legum tuendarum neceſſitate induci. Hic eſt profectò Natalis Regni noſtri dies, quo Sanctiſſimæ ſtirpis IAGELLONIÆ Sereniſ: Pronepos, non modò hæreditate gloriæ, ſed etiam factorum imitatione admirandus, vno conſenſu omnium, communi voce Ordinum nobiliſſimorum, vno orbis terræ ſuffragio, & teſtimonio, ſolium auitum, tot populis iura dicturus, & Regni habenas fæliciter moderaturus, conſcendit. Cùm primùm Alexander Macedo profligato Dario, oriente ſubacto, Perſepoli in ſolio Regio conſediſſet, Co-

rynthius Demaratus amicus paternus præ gaudio collachrymans dixisse fertur: Fraudatos magna voluptate Græcos, qui antequam in Darij solio Alexādrum spectassent vita essent functi. Non mediocri lætitia nobilissimos quosq; in Regno Principes viros caruisse dicam, quibus tantum Regem studijs, & gratulationibus liberi populi sine vlla varietate vniuersi, decoratum intueri non liceat: Cuius fidei, religio, pax, legum autoritas, Reipub. salus, credita & permissa; qui diuinitùs hoc motu temporum, hac conuersione rerum, hac omnium perturbatione, huic Regno datus, qui non modò vellet quàm sciret, nec sciret tantùm, sed etiam posset, Rempub. tot ærumnis vexatam, ad pristinam vindicare integritatem. Quid enim? Cuius vita omnium periculis arcendis se fortissimè impendisset; libertatem, fortunas communes, ab immanitate hostili defendisset, ab eo voluntates aliquorum vt dissiderent vnquam? tàm ingrata cuiusquam extitisset cogitatio, quæ anteactorum non tangeretur memoria

tempo-

temporum, eius tot bellis, ſacrum caput hoſtium telis appeteretur, vt eſſent à quibus dignitas eius in media pace, aut metu proderetur, aut ſtudio contrario poſthaberetur? Tanti Principis labor, in patriâ ſalute firmanda integrè verſatus, vt eiuſdem iudicio fructũ nullum conſequeretur? Nec verò credibile fuit, vt quæ Sereniſ: Reſpub. primò fæliciter aſpexiſſet, cuius meritis ampliſſimis ornata fuiſſet, ab eo omnibus ſtudijs proſequendo vt vel leuiter diſſentiret. Sed neq; ille ſupremus omniũ moderator Deus, in quo omnia vel maxima adeptus eſt, tàm præclaris cogitationibus, non potuit non fauere, eiuſq; de Repub. ſenſus non ſecundare. Etenim cum omnium ferè Comitiorum non mediocris æſtus, tùm præcipuè Electionis ſoleat eſſe maximus: vbi frequentiſſima, ſicut fluctuum, ſic volũtatum, & ſtudiorum eſt permutatio, vbi leuis interdum aura diſſipat omnia ac perturbat: vbi quæ de ſtatu ſuo fluxerunt & dilapſa ſunt, priuſquàm loco ſuo & ordini reſtituantur, quantâ conſiliorum & ſententiarum

varietate

varietate campus ille ferueat, quis ignorat? Hæc autem ſummo animorum conſenſu, abſq; vllâ interpoſita partium offenſione, ita pacatè acta ſunt, vt nonniſi Diuinitùs de ſumma Reipub. conſulentibus, talis & ſtudiorũ, & voluntatum ſimilitudo, effici potuiſſet. Tàm impeditis Reipub. temporibus, cùm grauem rerum omnium commutationem non nemo metuebat, quando incluſæ illæ ſimultates Ciuium, & odia clandeſtina, quæ in viſceribus Regni inhærerent, graui cùm diſcrimine omnium exarſura videbantur: quando hinc limitaneus prædo, inde hæreditarius hoſtis, magna & aratorum & oppidanorum trepidatione expectabatur: Cùm inde nobis ſumma pax, & tranquillitas reddita ſit; venturi boni fidem, hac antecedentium fælicitate metiamur, eſt neceſſe. Quocircà non vanus tibi augur, ô Polonia Ampliſſima venio, antiquam tuam reſtitutum iri fælicitatem, hoc ſapientiſſimo & fæliciſſimo Rege inaugurato. Et tametſi de Regum Sacra Maieſtate, inquirere liceat nemini, (nam & in veſti-

in veſtibulo ſuo inquirentem, repellit obiecta ſummæ poteſtatis veneratio; & qui propiùs ad tantùm ſplendorem quaſi ſolem adierunt, hebetata & perſtricta oculorum acie, videndi facultate caruerunt:) Cùm tamen hac feſtâ totius Regni celebritate, non tàm inſcientia periculoſa, quàm ingratitudo futura fuiſſet odioſa: quiduis potiùs de me ſtatui patiar, dummodò ne à publico plauſu, & communi prohibear gratulatione. Hoc ipſum Florentiſſimo Regno oſtenſurus, quantùm ex ſummis Sereniſſimi Regis virtutibus, Fortitudine, Prudentia, Sapientia, Fælicitate debeat expectare.

Ac primùm maxima illa virtutum, artiumq́; Ciuilium Fortitudo, quanta in hoc Rege eluxit ignorat nemo, qui ætate non magna, ad grauiſſimum, & maximè formidoloſum bellum, quod cùm Moſchis geſtum eſt, comes & ſocius laborum fuit, fortiſſimo & fæliciſſimo ſuo Patri: in quo non alienis præceptis, quàm victorijs perpetuis, non offenſionibus belli, quàm triumphis, ad res magnas, pro patria,

pro ſtatu Reipub. pro fortunis communibus obeundas erudiretur. Intellexit ſcilicet non aliter ad ſupremum iſtum in Regno honorem, aſcenſum quàm per ardua bellorum diſcrimina parari: quocirca iuueniles etiam annos gloria triumphali occupauit. Quis vnquam magnâ fortunâ, & tanta profectus amplitudine, nondùm ætate laboribus & periculis ferendis matura, otium labore, certam ſecuritatem, dubiâ Martis aleâ, domeſticam commoditatem, altam pacem, aut illa fortunæ blandimenta, hoſtili formidine, vitæ periculis, longinquis itineribus commutauit? Tàm inſigni fuit indole Sereniſſimus, cum in grauiſſima armorum hoſtilium impetitione, non obſcurè ſignificaret, quantùm apud eum cara incolumitas & dignitas publica valuiſſet. Admirandum profectò fuit teneritudinem illam, nondùm ſatis ad euentus omnes firmatam, prompto officio, animo inuicto, caſtrenſibus offerre negotijs: neq; ſolùm hoſtilem vim, ſed etiam loci, regionis, imbrium, niuium, cæli deniq; inclementioris

mẽtioris ſuſtinere iniurias. Suſtinuit, & omnia loci aut temporis incommoda, ita inuicto animo perpeſſus eſt, vt non quod ſibi integrum, ſed quod patriæ cariſſimæ fructuoſum eſſet; ſpectaret. Quid mihi antiqua Roma, celebrandis ſupra modum ſuorum virtutibus nimium quàm effuſa, aut Tarquinium Priſcum opponet, qui filium annos quatuordecim natum, quòd hoſtem cecidiſſet, & pro concione laudauit, & bulla aurea prætextaq́; tanquam vltra annos fortem, glorioſè inſigniuit. Aut P. Scipionem Africanum ſupra modum attollet, qui Patrem ad Ticinum equeſtri prælio, cum Annibale pugnantem, & ab hoſtè circumuentum, ita defendit, vt hoſtis impetũ non aliter, quàm ferro & ſanguine coërceret. Longè maiori fortitudine Sereniſſimus antecelluit, qui ætate admodùm iuuenili, lectiſſima ſuorum manu, ad feritatem illam Moſchorum coërcendam mouit, vt perdomitis perduellibus: Reipub. dignitatem, & authoritatem in poſterum ſanciret. Regum eſt, pro patria, pro ſalute publi-

ca, contra impetus hostiles ſe opponere, magno animo à Ciuibus iniuriam, ferrum, & vaſtitatem à limitibus prohibere, communem ſibi cum cęteris belli fortunam, idem vitæ & mortis domicilium depoſcere, tolerantiâ aduerſitatum, periculorum contemptu, omnes ad immortalitatem laudis magnoperè anteire. Hæc ſunt illuſtria veræ, & ſolidæ fortitudinis monumenta, quæ pro communi bono, pro Repub. Sereniſſimus toti orbi, in hoſtico ſolo verſatus luculenter declarauit. Ex quo effectum eſt, vt hoſtes etiam, bello graui & diuturno attriti, quicquid fortuna bellica reliquum feciſſet, eius clementia & Protectione conſeruandum duxiſſent: cùm Principem vniuerſæ gentis ſuæ deſignarent, atq; ſe iureiurando ad fidem præſtandam obſtringerent. Quid illuſtriùs, quid fama tanti Principis glorioſum magis, non ſolùm ad noſtram, ſed etiam ad ſempiterni nominis memoriam, potuit cuiquam accidere; quàm amentiam illam, nec armis, nec obſeſſione longiore, nec agrorum vaſtitate, aut funeſta

sta popularium cæde emollitam, tantæ in Rege Serenissimo fortitudinis admiratione, temeritate sua concedere, vrbes recludere, præsidia armis nudare, nec solùm arma, sed etiam feritatem ponere, totumq; eius permittere potestati: Eius clientelæ suas leges, vrbes, templa, fortunas, salutem Ciuium, quicquid denique publicum & priuatum esset, cum supremâ rerum omnium potestate dare, rogare etiam, ne supplices aspernaretur, quos incolumi tanto Principe, nemini supplices esse oporteret. Persuasit hæc latissimè per omnes populos, gloriosa fama, designatum Sereniss: VLADISLAVM Magnum Ducem latissimo & opulentissimo Imperio: omnes rei nouitate & raritate defixi; tàm subito potuisse animos diuturna armorum consuetudine innutritos, pacari, exarmari; extremã desperationem, in spem meliorem, perfidiam, metum, in fidem & securitatem traduci: exinde faustis prosequi ominibus tàm secundam Sereniss: fortunam. Cùm verò ampliora sint merita Principum, quàm optata hu-

manorum votorum: tantiſper Principatum illum magno interuallo diſſitum, bona Regni fata retardarunt, vt Regem tantum Regno iſti conſeruarent. Sed non fati duntaxat, verùm altioris cuiuſdam conſilij, ea mora in adeundo illo Principatu fuit: nè caritas patria, atq; hoc clariſſimum Regni domicilium, hic cultus hominum, iſta vitæ ciuilis comitas, vrbium amænitas, ordinum ſplendor, horridiori poſthaberetur nationi. Cum illis quidem populis præclarè actum fuiſſet, ſi voluntati illorum, atq; plenis in optando tanto Principe amiciſſimi deſiderij ſtudijs, euentus ſecundus reſpondiſſet; nobiſcũ ſecùs, qui tanto bono, & præſenti voluptate, eramus carituri. Quocirca manebit hæc Sereniſſimo ad omnem immortalitatem gloria, eum à potentiſſimo illo Imperio ſummè fuiſſè expetitum, ſed nobis reſeruatum: vt quantùm poſſet, poſſet autem plurimùm, tantùm Patriæ ſuæ prodeſſet. Epaminondas ille magna virtute & bellica gloria inſignis Imperator, opulentiſſimo Perſarum Regi Artaxerxi, etiamſi to-

tius mundi obtulisset Dominatum, de Patriæ caritate noluit concedere. Quid enim homines forent apibus deteriores, quibus natura impressit loci sui tuendi & ornandi desiderium: quarum nulla, suo neglecto & relicto alueo, in alium se confert, aut maiorem, aut fertiliorem, sed proprium auget: etiamsi regio sit frigidior, & pascua deteriora, & ros minor, etiamsi opus fiat maiori cum difficultate. Quòd si hanc animantibus etiam, inseruit natura occultam sui loci, in quo lucem primam, & spiritum hausissent, seruandi & tuendi cupiditatem; quid Principi cogitandum, qui est potissima, & prima Reipub. pars, qui est quasi nobilior anima, quæ tantum corpus mouet, spiritus vitalis, quem tot millia hominum trahunt, atq; vinculum quo Respub. cohæret, nihil per seipsam futura, nisi onus & præda, si mens illa subtrahatur. Præclarum eiusce rei dedit documentum sapientissimus Rex Vngariæ LVDOVICVS, qui cum à morte CASIMIRI à Proceribus Regni, omnium Ordinum cõ-

sensu

ſenſu accerſeretur, ſuorumq́; popularium ſtudijs, ad eam incenderetur dignitatem: cenſuit neque iſtos ſatis intelligere quid ſuadeant, neq; illos quid petant: ſi nec duobus gregibus ex re ſit, vnum paſtorem habere. Quapropter cùm à nobis Sereniſſimum Dei prouidentia, quæ ſemper huic Regno præſidet clementiſſimè, magno populi alterius ambitu, auelli non ſineret, nos fruimur præſenti eius luce, cuius conſpectu illi recreari optabant: eorum vota noſtra ſunt emolumenta: eorum expectàtione in flore dilata, nobis fructus maturuit iucundè: quam illi fortitudinem in bellatore fortiſſimo admirati ſunt, nos in Rege Sereniſſimo veneramur. Hic itaq́ue fuit ampliſſimus locus, quo ſe tanti Regis apud exteros exprimeret fortitudo; vt eam victi etiam, in turbulentiſſimo ſuo tempore ſumma proſequerentur admiratione: rebuſq́ue ſuis, quas violentia Martis conuelleret, magnopere expeterent firmandis.

Hæc propagandis patriæ finibus, atq́ue gloriæ producendæ, inuicto animo ſuſcepta

pericula:

pericula: quantùm verò ſeruandæ & tuendæ, ſaluti communi & hoſti ferociſſimo comprimendo, à Sereniſſimo inſudatum ſit, nulla vnquam ætas, nulla poſteritas conticeſcet. Bellum atrox & formidoloſum, ille nefarius Regnorum prædator Oſmanus, huic florentiſſimo comparabat Regno, vt per latus noſtrum orbem Chriſtianum odio inexpiabili aggrederetur, vrbeſq; populoſas, aras, focos, flamma & ferro exſcinderet inſolenter. Non alia verò cauſa, quam cruenta proferendæ ſuæ Tyrannidis cupiditate, ad eam impulſus amentiam; cum ſemper illi ijdem dominandi, qui gladiorum & pilorum fines fuiſſent. Et cum non ſolùm extremas Regni oras, quæ barbarorum gentibus attinguntur, numeroſo latrocinio occuparet, & latè campos illos Thracijs caſtris diſtingueret; ſed etiam ſe in viſcera Regni crudeliſſimo barbarorum delectu infunderet, atq; vrbes poſitas in gremio Regni hoſtilem in modum vexaret, effringeret: in hoc vnum Sereniſſimus ſe impendit, vt totum Pontum arma-

tum, atque efferueſcentem in nos Aſiam, vel ceruicibus ſuis interclusam ſuſtineret. O nullis vnquam temporibus abolendam ex hominum memoria patriæ conſeruandæ gloriam, ô nimis altè & ad immortalitatem nominis exaggeratum animum, cùm non tàm Iſtri gurgitibus, non præſidiorum multitudine, non aggerum firmitate, quàm tanta Sereniſſimi virtute, & nominis apud hoſtem terrore, ab extrema internecione muniremur. Non parſit immodicis belli gerendi ſumptibus, non aſperitate viarum & difficultate, non anni tempeſtate incommodiore retardatus: quin ſanguinis etiam prodigentia caritatem patriam teſtaretur: id temporis vel maximè cum Supremus Exercituum Imperator, in ipſa cura, & meditatione ſui muneris, exceſſit è vita. Perfecit Sereniſſimus lectiſſimorum militum inuicto robore, cum quo nobiliſſima ornamenta & columina Regni ſtetiſſent, vt non ſolùm Patriam calamitate funeſta leuaret, ſed etiam glorioſis trophæis honeſtaret. Quæ vis ingenij, quæ

magni-

magnitudo obſeruantiæ tot tantiſque beneficijs in Patriam atq; adeò Chriſtianitatem, collatis reſpondere poterit? Cum mihi videatur tàm formidoloſo tempore, non vnius Regni, ſed totius Chriſtianitatis, nec vnius populi, quam commune omnium nationum ſuſceptũ fuiſſe patrocinium, nullâ ingratæ poſteritatis obliuione prætereundum. Cùm metueremus varios & ancipites belli caſus: Cùm patria Sereniſſimum, ſpem ſuam maximam, non ſine anxietate dimitteret: cùm omnes omnium hominum conditiones fortunatum precarentur euentum; formidarent tamen ei Principi, in quo incolumitatem ſuam reclinatam meminiſſent; tàm perculſis omnium animis, nec dubius Mars per varios caſus errauit, nec fortunæ viciſſitudo, quæ plerumque lætis rebus aliquid aduerſum adglutinat, victoriæ lætitiam funeſtauit. Compreſſit contumelioſos immanis Tyranni faſtus, refrænauit conſilio temeritatem: fortitudine audaciam, animi excelſitate inſolentem ferociam; vt qui acies noſtras vno

 ſpiritu

ſpiritu difflatum iri ambitiosè iactabat: qui cænarum ſuarum apparatus in caſtris noſtris ferociter inſtruebat, & helluationi immani ſub tentorijs Polonorum deſignabat locum; cruore ſuo ebrius, cædibus ſuorum exſaturatus, pace priùs, quàm pactione ſanguinis ſui redemiſſet impetrata: ſemineces ſiccariorum greges atq; ſigna tabo ſuo fluentia, probro ingenti, & rei turpiter geſtæ indignatione, ad luſtra feralia trahebat. Comparatam tot gentibus & populis ſalutem, conſtitutam pacem atq; otium domeſticum, conſtabilitam Rempub. ingrata aliqua obruet reticentia? tàm populare & plauſibile factum non inſcribet æternitati? non trophæa ob ſeruatos Ciues immortalia, & patriam ex hoſtili ſeruitute vindicatam excitabit? Nulla eſt tàm amens futura poſteritas, quæ ſcire nolit, quo motu temporum, quanta conuerſione rerum, quâ perturbatione verſaremur: nullus populus longinquitate loci ita diſſitus, ad quem cōſequente etiam ætate hic nuncius non perferatur; nos ab vltimo excidio fortitudine

Sereniſ-

Serenissimi conseruatos. Et profectò nisi hoc perfugium diuinitùs tàm deploratis & desperatis rebus nostris adfuisset, vbi sunt vrbes populosissimæ, templa Diuorum religiosa, atque hominum cætus florentissimus: his ornamentis ferro & igne excisis, aliud nihil quam horrida vastitas, & mæsta quædam solitudo superfuisset. Sed quæ tandem potest res esse in vsu militari posita, quæ tanti Regis scientiam fugiat? aut quæ tàm periculosa belli gerendi ratio extitit, in qua eum non exercuerit fortuna Reipub. Exarsit inopinato graue & formidolosum bellum in Prussia: atq; cùm eius impunitas per omnes agros, aratorum fortunas, & oppida grassaretur, & fœdissimis direptionibus omnia deformaret, etiam fortissima quæq; illius Prouinciæ præsidia inuasit. Interea ad opprimendum in ipso aditu periculum, non solùm lectissimi milites, sed regiones Regni vniuersi accurrunt, & cùm omnes, qui in salute Reipub. salutem suam repositam arbitrarentur arma cæpissent; Serenissimus qui atauorum, &

proauorum ſuorum trophæa ex Pruſſis debellatis, glorioſè delubris ſanctiſſimis affixa, atq; nobiliſſimarũ Victoriarum veſtigia, non preſſa ad exigui prædicationem temporis, ſed relicta ad omnem immortalitatem meminiſſet: præclara voluntatis ſuæ in Rempub. ſignificatione, vel capitis ſui dimicatione, publicis patriæ periculis ſubueniendum eſſe duxit. Et tametſi nihil relictum eſſet præſtantiſſimi cuiuſque virtute, belli cum dignitate & ſecundo euentu à noſtris gerendi fama, vt Maieſtas Regni integra conſeruaretur, vis illa de præſidijs inſeſſis, vrbibus, & agris deijceretur: tamen occulta quædam fortuna, victoriam remorata eſt, vt Sereniſſimo triumphos iuſtiſſimos, integram & ſolidam gloriam, vindicandæ illius prouinciæ deferret, atq; vniuerſo Regno antiquam rerum animosè & fæliciter gerendarum reſtitueret dignitatem. Extorquenda breui ex hoſtili ſuperbo dominatu ampla illa & munitiſſima præſidia: in quæ ab Imperio noſtro diſtracta, nullo iure violentus poſſeſſor inuaſit. Qua

propter

propter ſi præſtanti fortitudine bellica, omnia quæcunque ſunt in Regno defendi & firmari putantur: ſi actiones eius magnoperè fortunis cōmunibus tuendis & amplificandis fructuoſæ: quarum immortalia exempla à Sereniſſimo in patriam profecta, luce clariora ſunt; quis nō recognoſcat ſuprema Dei optimi voluntate, dubijs formidoloſiſque Reipub. temporibus, ad omnes impetus & procellas impendentes auertendas, tantùm Regem deſignatum & delectum; cuius fortitudo tot bellis confectis nota, communibus rebus contigit, ad priſtinum ſtatum fæliciter attollendis.

Verùm difficile dictu eſt, an maiorem hoſtibus edomandis fortitudinem, quàm domeſticis periculis ſedandis prudentiam declararit. Viderat multis incommodis, difficultatibuſq; Rempub. affectam, nihil æquè vt concordiam Ciuilem & domeſticum otium deſiderare: perſpicuè intellexerat, pleraſque ſimultates in animis Ciuium increbreſcere & propagari: quæ quaſi ſemina forent, aut non leues ſcintillæ,

vnde

vnde domestici mali non mediocria incendia metuerentur. Idcircò prudentiæ summæ fuit, in primo introitu ac penè in faucibus, prohibere pestem illam, ad perniciem Reipub. dimanare. Quid enim, si flamma illa quæ sub obtentu religionis in venis ac visceribus Reipub. latebat, palàm erupisset, atq; studijs partium ad inuicem incensis, sacrosanctam legum autoritatem, libertatem, fortunas communes, vitam deniq; omnium, non mediocribus inuolueret periculis? Neq; obscurum erat agrestium etiam armatorum vim & multitudinem sollicitari, atq; cum terrorem liberis suffragijs opponi, vt ab excubijs limitaneis auulsi, quæ legibus & sententijs non possent, id metu armorum obiecto extorquerent, neq; magis in hostium ceruicibus, quàm iugulis liberorum hominum gladios hebetarent. Hæc aliaque non parua incommoda, patriæ perturbandæ comparata, admirandâ Prudentia Serenissimus inuestigauit, explorauit, sedauit: eius opera, consilio, ex bellorum Ciuilium vadis emersisse,

& quasi

& quaſi ex ſcrupuloſis mutuarum offenſionum cotibus nobiliſſimum Regnum enauigaſſe, fateamur eſt neceſſe. Et hæc ſunt illuſtria Prudentiæ domeſticæ documenta, nunquam in noſtrorum animis obliteranda, communi tranquillitati, ſine vllo delectu, ſine vllo tumultu conſuluiſſe. Illa verò quanto applauſu, quanta admiratione, omnium ſermonibus frequentantur, exterorum populorum vrbes, & regiones adijſſe, potentiſſimorum Regum animos & ſtudia, magna virtutum Regiarum æſtimatione, ſibi adiunxiſſe: vt quocunque ſe Maieſtas Regia dediſſet, tametſi id à nemine vellet intelligi, tamen coniectura quadam non dubiâ, omnium animos incredibilis lætitia ob tanti hoſpitis præſentiam perfundebat. Lux quædam maior diuinitatis oborta populis illis videbatur: nullus locus erat quocunque ſe intuliſſet, qui non Maieſtatem ſuam affari, atque appetere videretur: nulla regio, quæ non beatam ſe putaret, quod victorem acerrimi hoſtis glorioſum, fortunæ communis propugnato-

rem, ſummâ complecteretur veneratione, vt ex eius gloria inſignem ad ſe redundare ſentiret voluptatem. Mirificum eſt illud, & commemorabile fortiſſimorum Belgij ſtatuum, tantæ virtuti in oculis Regni datum teſtimonium, quod in obſidione Bredæ, inter exercitus armis inſtructiſſimos tantum Regem ſpectaſſent, cuius vita grauioribus multo bellorum periculis exercita iactataque fuiſſet: Cuius gloria tot victorijs & triumphis inſignita, iam pridem nationum Regnorumque omnium admiratione effloruiſſet. Scilicet exemplo ſuo oſtendit Sereniſſimus ad præclara pro Regno ſuſcipienda & adeunda negotia, magno vſu, & diuturna experientia opus eſſe; qui ſit Rex futurus, cui mandatum ſit in infinitos homines imperium, qui ſibi & patriæ conſulere debeat, virtutem talem comprehenſam habeat in animo; quæ facilè reliquas omnes antecellat. Et hæc prudentia eſt, cum ſit optimi ſcientia, quæ efficit ne quiſquam caſu viuat, ne quid agat inconſultus, vt ſe ad præterita reflectat, præſen-

tibus rectè vti ſciat, futura cum animo expendat. Eius eſt momenta librare temporum, dictum omne factumque ſolerti cautella expenſum habere: noſſe quâ quiſq; ſit lege, conditione, fædere, tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla multorum. Non eſt aditus ad huiuſmodi res cuiuſquam fortunæ aut potentiæ, non per ludum, aut iocum, ſed labore, tolerantia, magno vitæ diſcrimine, itinerum difficultatibus talia conquirenda. Et cùm legum, morum, conſuetudinis, humanitatis exempla, diſſitis nationibus & Ciuitatibus varia data & diſpertita ſunt; quod ſuæ altitudini & fortunæ congruum erat, ita hinc Sereniſſimus ſumpſit, vt non ab alijs tradita, ſed cum prima ætate innata, infixa, & diuturno vſu corroborata eſſe videantur. Hinc grauitas iudicij, conſilij, rerum agendarum magna experimenta, quæ magno labore & conſuetudine longa, quæſita ſunt propterea, vt iſtis inſignitus, paratior ad Regnum, meditatuſque accederet. Fidentiùs enim tractantur, quorum

factum est periculum: audentiùs itur quâ experimentum præmonstrat: nullus in agendo errori locus relinquitur, vbi prudentia facem attollit rationi. Quid quod illa quæ altissimam etiam rectè factorum gloriam non raro attenuare solet, inuida malèuolentia, nihil luminibus virtutis excelsæ obstruxit, nec incitatum laudis cursum repressit, nec ascendere vnquam eò potuit, quò Diuina Regis Magni sublimitas suis nixa radicibus est progressa. Etenim nunc conuicta orbis propè totiùs testimonijs, tàm splendidis legationibus confutata, gloriosis constricta triumphis, atq; hoc Maiestatis fulgore exanimata recognoscit, in hoc Regno Amplissimo, contumacem liuorem, contra veram & solidam gloriam nihil vnquam potuisse. Prudentiæ itaq; summæ fuit, domesticos motus, ad non exiguam aliquam calamitatem spectantes, in ipso aditu leniter coërcere; Nationum exterarum, potentissimorum Regum, animos & studia deuincire, ea quæ vsibus tantæ Maiestatis & Regno fæliciter administrando serui-

do seruirent peregrè conquirere, leuis fortunæ aduersitates, quæ non iudicio, sed casu agitur dissimulare, & virtuti toto orbe notissimæ, atque iudicijs bonorum potiùs, confidere, quàm vlla temeritate commoueri. Quis verò doctrinæ reconditioris magnitudinem, rerum maximarum multiplicem non admiretur comprehensionem? nec verbosam illam sapientiæ simulationem, sed tanto dignam Rege, solidam sapientiam magnoperè non veneretur? Multis quidem omnis thesaurus sciendi in lingua situs est, verborum magnifico & splendido apparatu instructus: verùm non ad cognitionem duntaxat, sed ad præclaras actiones rationem & fructum scientiæ referre, id demùm est, vnde non mediocris publicè vtilitas possit deriuari. Sapientiam fælicitatis vniuersæ parentem & altricem, qui rerum omnium expendunt momenta, rectè censuerunt; quod nimirùm eius studio initiati, intelligunt ad quem finem, omnia ducenda sunt; vt eorum consilio, & persuasione prudenti, benè beatèq;

 viuatur.

viuatur. Nonnè hoc ipſum Supremo Principi propoſitum eſt, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeat, vt non ſolùm ipſe beatus ſit, ſed Rempub. quoque efficiat beatam? vt in maximis fluctibus, & turbinibus nauem Reipub. tractans, ſaluam in portu collocare poſſit? vt nè quiſquam tàm diuino præeunte moderatore, ad infælicem aliquem calamitatis ſcopulum impingat. Proindè diuinum eiuſmodi hominem, communem in terris ſoſpitatorem, maximarum artium ſtudio & cognitione excultum, vſu & exercitatione perpolitum eſſe oportet: vt quo habitu, eius ornatus animus, & quibus copijs inſtructus ſit, talem eum extra efferat, & repræſentet, neceſſitas conſeruandæ publicæ ſalutis. Nemo præter hunc formatus eſt in commune auxilium mortalitatis, ille poſtquam fines virtutum & officiorum omnium dimenſus eſt, quaſi certa amuſſis recti & honeſti habetur: ab hoc veluti conſultiſſimo oraculo, ſalutaria petuntur omnibus populis reſponſa: nihil eſt, quod tantò autore & duce,

homines

homines ſe conſequi non ſperent. Et cùm in rebus iudicandis non minimam partem, ad vnamquamque rem æſtimandam rectè, momentoq; ſuo ponderandam ſapientia Iudicis tenet; quem Diuina voluntas ſupremum & ſanctiſſimum in terris Iuridicundo, & tuendæ æquitati feciſſet Iudicem, contra peſtem & perniciem, publicâ armaſſet autoritate; an non ſumma eum ſapientia inſignitum eſſe oportet, vt ne callida iuris interpretatione, ab eo quod fas & æquum eſt, ſe abduci & deflecti patiatur. Talibus præſidijs Sereniſſimus priùſquam ad ſummum rerum humanarum faſtigium euaderet, ſe communijt, cùm ſciret omnem Reipub. rectè gerendæ rationem, in ſumma ſapientia conſiſtere. Vnde cùm nec fortuna tanta maius quidquam habeat, quàm vt poſſit, nec natura meliùs, quàm vt velit quàm plurimos iuuare & conſeruare, ad tantam fortunæ amplitudinem, & naturæ facilitatem, maximus literarum ſplendor, altiſſima quorumuis ſcriptorum memoria acceſſit. Scilicet neceſſe erat, vt ille

qui

qui præfuturus esset Amplissimo Regno, cuius virtuti multorum committenda salus, inusitata quædam hominibus, ad fælicissimum regimen, à Deo supremo nancisceretur adiumenta. Sed cum intelligeret, non posse Regnum sapienter & aptè ab vllo gubernari, nisi se totum ad imitationem Regis illius summi atque sempiterni componat: ab auita religione, atq; accurato Numinis sanctissimi cultu inchoandum existimauit; Romam honorificè à Sanctissimo in terris Christi Vicario Vrbano VIII. adijt inuitatus. Florebat tunc magna Principum Christianorum frequentia, illud Christianæ religionis perfugium & propugnaculum Roma, recluso cælestium beneficiorum thesauro Anno Iubilæi Magni, implorandâ cælesti clementia, abolendis quantumuis maximis hominum erratis designato. Aderat præstò comitatu lectissimo Serenissimus, vt supremum à Christo in terris caput veneraretur, & rebus suis cælestem deposceret benignitatem. Quid ego prædicem quanto studio, quò plausu & gratu-

gratulatione Roma vniuersa, Serenissimum propugnatorem Christianitatis, assertorem ex hoste religionis sanctissimæ acceperit? Cùm eum intueretur, cuius celebritatem nominis, & rerum gestarum amplissimam gloriam, priùs non tenui fama didicisset, quàm præsentem aspexisset. Sed nihil æquè plausibile fuit, quàm cum illustria & maxima omnis humanitatis, & affectus paterni indulgentissimi, tanto Regi Sanctissimus declarasset indicia, quò magis hunc inuictum terrore & perfidia hostili animum, Religioni sanctissimæ & Patriæ obligaret. Cùm verò magnos bellatores, qui se caputque suum, pro templis arisque sacratis in hostium mucrones obiecissent, sacro ritu, verbis religiosè conceptis, cælesti soleat communire & insignire armatura: eandem Serenissimo, auspicatò, religiosè, sancto more, sanctissimis ceremonijs, antiquo & recepto ritu impertijt, datis armis benedictionem. Insigne & in omni posteritate commemorandum illud spectaculum fuit, cùm Maximus Ecclesiæ Pastor

cælo proximum in terris caput, ſacris altaribus aſſiſtens, vota pro Regno hoc Ampliſſimo & incolumitate Sereniſſimi nuncuparet, eumque qui ſe omnibus pro Chriſti hæreditate periculis deuouerat, hic Angelus Domini, quaſi alterum Gedeonem, hortatu diuino, cæleſti voce, amplius in hoſtem animaret, atque inflammaret. Vtq; non dubia agendorum ex hoſte triumphorum duceretur fide, etiam cæleſti veluti depromptis armamentario, inſtruxit armis. Ornauit diademate benedicto caput pro ſalute publica telis hoſtilibus toties propoſitum, vt hoc, quaſi galea ſalutis communitum, animoſiùs ſtaret in periculis Eccleſiæ & Patriæ propulſandis. Vacuum vaginâ porrexit mucronem, cuius fulgore oculos improborum perſtringeret, terrore extirparet flagitia, iniuriâ innocentes prohiberet. Accinxit lateri ſubſidium belli & pacis oportunum, illuſtre tot victoriarum monumentum, honorificum à Summo & Sanctiſſimo Eccleſiæ Paſtore, religionis defenſæ teſtimonium. Et quem vlla in memoria

Principem

Principem commemorare possumus, tot insignem trophæis, tanto plausu Christianitatis, tali Principis vrbium Romæ gratulatione cohonestatum? Profectò tàm grauis & honorifica Sanctissimi de Serenissimo existimatio, tantùm in eo amplissimè excipiendo studium, hic omnium bonorum interpres sensus, non aliud quiddam fuit, quàm indicium cæleste, & Diuina quædam præsagitio, ac prænuncius tantæ in rebus humanis sublimitatis. Hæc itaque in Serenissimo sapientiæ & religionis consensio, hic admirandus virtutum Regiarum nexus, quasi Diuino aliquo denunciat oraculo, non tantùm speciosùm, sed etiam necessariùm fuisse, nec ad præsentia modo, sed etiam ad futura momenta salutare, talem nobis Regem declarari: in quo luculenta spes sita sit, rebus Ecclesiæ & Patriæ in meliùs instaurandis.

Quod si magna vis, magnum momentũ, positum est in Regis optimi fælicitate, ad amplitudinem & res magnas benè gerendas, ad conseruandam omnibusq; bonis cumulandam

 patriam;

patriam; quis vnquam eo fælicior, qui gradum nusquam extulit, quò non summa eum, consecuta fuisset difficilibus pro Patria adeundis negotijs fælicitas? quem non fortuita hominum consensio, non repentinus alicuius fauoris euentus, sed vetus illa Regnatricis IAGELLONIÆ Domus prærogatiua, ad eam prouexit Maiestatem. Illud inusitatæ cuiusdam fælicitatis fuit, cùm ex hominibus maximorum in Ecclesiam & Regnum istud meritorum pientissimus & fęlicissimus Rex SIGISMVNDVS III. ad Diuorum beatam vitam excederet: commigrationem facturus in cælum, vidit quem relinquebat gloriæ & factorum suorum in Regno imitatorem. Nam posteaquam sanctè & religiosè ex hac mortalitate excessisset, in præsente Serenissimo omnium sensus, & cogitationes consederunt: erat in desiderio Reipub. & sermone omnium, ei deberi summum istum in Repub. honorem; qui vbi nascendo etiam Imperium meruisse videretur, illud tamē nonnisi magnis & diuturnis laboribus, & summis

in patriam studijs, quærendum esse existimauit. Porrò admirandum illud Christianorum Principum studium, & totius Europæ, in designando tanto Rege consensum, quis vlla ætate, aut vllo in Principe testimonijs eiuscemodi prosequendo, vnico assensu omnium, voce vna, vnico totius orbis testimonio potest meminisse? Ferunt Mæcenatem Octauio Augusto autorem fuisse, vt quod ipse Imperium tot bellis defendisset, vindicasset, idem acciperet gubernandum, quòd aliter Romanam rem crederet, sustineri non posse. Tàm perspicua Regum Christianorum in Serenissimum voluntatis significatio, hæc pro eo ad Amplissimos Ordines postulatio, hæc grauissima exterarum nationum testimonia, quid aliud voluerunt, quàm vt eius fidei & fælicitati Regnum florentissimum permittatur, cuius opera, labore, industria, virtute hactenùs fuisset sustentatum. Summus & Sanctissimus Ecclesiæ Princeps, in maxima hominum nobilissimorum luce & frequentia, cælesti oraculo toti Christianitati & Regno Po-

loniæ Serenissimum fore præsidium ac ornamentum singulare edixit: & cùm perpenderet momenta omnium officiorum, causa Regni susceptorum; triumphales victorias, dignas Imperio virtutes extulit, atque tàm splendido elogio, non vnius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque Serenissimo donauit. Diuina hæc fuit Regis optimi eligendi denunciatio, cùm ab eo profecta esset, qui sibi cælestem in terris potestatem habet communicatam. Eminentissimum purpuratorum PP. Collegium, Senatus ille Ecclesiæ Amplissimus, nihil reliquum fecit, quod ad dignitatem Serenissimi pertineret: valdè quàm sublimi honore, promerita Serenissimi apud Ordines nobilissimos prosecutus. Ac primùm vulnus grauissimum, ex obitu Serenissimi SIGISMVNDI, spe futuræ communis fælicitatis, consolidat & obducit. Deinde renouandam Aquilæ victricis iuuentutem, regnante superbi Pharaonis domitore, & Christianæ Reipub. Protectore VLADISLAO grauissimè & sanctissimè pollicetur.

cetur. Sacratiſſima Cæſarea Maieſtas, non vllo cognationis tantæ fauore, nec Regia ſtirpe, nec adeò Sanctiſſimorum Maiorum (quæ tamen per magna autoritate ſint) quàm ſuis meritis maximis, toto orbe celebratiſſimis Sereniſſimum Nepotem, iam pridem Ampliſſimum hoc dignitatis faſtigium meruiſſe iudicauit; neq; eam virtutem repudiari debere, quæ ſibi laborioſè gradus ad eam præſtruxiſſet amplitudinem. Quid Potentiſſimus & Sereniſſimus Hiſpaniarum Rex, cum animorum diſiunctiones, atq; Ciuilium permetueret tempeſtatem diſſenſionum; Regali tamen prudentia illud conſecutus eſt, nimirùm nihil poſſe ab eo Regno ſecus ſtatui, cuius fidem, conſiliorum grauitatem, ſententiarum rectitudinem, nemo vlla in re vnquam requiſiuit. Non aliud Chriſtianiſſimi Regis fuit in ea cauſa ſtudium, quàm vt luce palàm toti orbi teſtaretur eum Poloniæ Ampliſſimo præficiendum Regno, qui Diuorum Atauorum inſignia facta, atq; heroicas virtutes ad imperium amplificandum eſſet

allaturus:

allaturus: atque ſanctiſſimi Parentis, non ſolùm vultu regio, atq; affatu benigniſsimo, ſed etiam conſilio, prudentia, fælicitate gubernandi, ad poſteros fælicem memoriam referret. Verùm vt communi totius Europæ ſuffragio & aſſenſu, congruentibuſque votis, ad ſupremam in terris aſcenderet Maieſtatem: etiam nobiliſsimi ex Belgio ſtatus, exploratæ in ſuis Prouincijs Sereniſsimi virtuti, & bellicæ gloriæ, plauſibile & commemorandum, apud Reinpub. teſtimonium præſtiterunt. Satiſnè vobis multi & idonei teſtes, & conſcij earum rerum, quas fæliciter Sereniſsimus pro patria geſsiſſet videntur? ad cuius nomen gloriosè ornandum, non tantùm quibus ius ſuffragij & ſententiæ fuiſſet datum, ſed Regna propè omnia, latiùs paulò quàm ratio vicinitatis poſtulabat excita, conuenerunt. Quæ Diuina Chriſtianorum Principum de Sereniſsimo iudicia, an non maximum ad noſtram fælicitatem faciunt momentum: quòd is declaratus, & inauguratus ſit Rex, quem non ſolùm ſuffragia

Ciuium

Ciuium libera pridem popoſciſſent; ſed etiam ſtudia tot Principum, exterorum populorum decreta magnificẽtiſſima, quaſi diuinitùs oſtendiſſent. An verò vllam oram tàm deſertam putatis, tàm longinquum, & à communi hominum ſocietate abiunctum locum, vbi non illius diei fama peruaſerit, quò patenti & confertiſsimo campò, Senatus prudentiſsimus, equeſtris ordo nobiliſsimus, vnum ſibi Sereniſſ: VLADISLAVM, ad tuendam libertatem communem, expetiuit & elegit? Quæ tùm iudicia, quis ſenſus remotiſsimarum etiam gentium, quæ expectatio populorum vicinorum, quis hoſtium terror, eo fæliciter deſignato, cuius alij fidem, & beneuolentiam, alij bellicis laboribus animum inuictum, perſpicuè explorarunt. Non enim veriſimile fuiſſet, ex ſumma rerum omnium deſperatione, & metu malorum impendentium, tantam ſubitò nobis pacem & ſecuritatem redditum iri: aut animum hoſtilem libidine prædandi innutritum, & impunitatis ſpe confirmatum, potuiſſe aliquo mo-

do refrenari: niſi admiratio tantarum virtutum, & fælicitatis peruagata fama, anniuerſarium hoſtem in officio continuiſſet? Quid quod vrbes etiam, quæ à domeſtico & forenſi latrocinio, non ſatis pacatæ ſibi hactenus videbantur; interea ſumma quiete, & otio communi perfruerentur: itinera publica quæ antea obſiderentur, vt nemo ſe daret in viam, cui non fortunarum aut vitæ ſubeundum eſſet diſcrimen, vnius ſpe & nomine Sereniſsimi pacatiſsima effecta: cùm effrenatæ licentiæ metus quidam iniectus eſſet, non alendam diutiùs impunè ſuam audaciam, ſed modum euaganti ſtatuendum improbitati. Vnde tantam inopinato, tàm inſperatam affulſiſſe nobis credamus tranquillitatem, exiſtimatione duntaxat, nec dùm voce & aſſenſu declarato Rege Sereniſsimo, niſi Diuina quadam fælicitate, quæ ſuæ Maieſtati, ad eam præiuit ſublimitatem, & ſalutem populorum conſeruandam. Etquidem in Repub. Romanorum vetere ad Cenſorum laudem pertinebat, ſi luſtrum fælix condidiſſent,

didiſſent, ſi agrorum vbertas horrea compleſſet, ſi vindemiæ fertilitas exuberaſſet, aut oliueta larga fluxiſſent; bono enim fato Magiſtratum illum Reipub. deſignatum, populari credebant opinione. Cur non maximam Regno noſtro optimo & Maximo Rege imperium adeunte auguremur fælicitatem: Cuius fauſtiſsimam tot indicijs ſuprema Dei bonitas præiuit gubernationem? Cur rebus communibus hactenus iniuria temporum lapſis, rurſum in integrum reſtituendis diffidamus; cùm planum ſit omnibus, non aliter quàm cæleſti nutu, tantùm Regem declaratum. Quid finitimi hoſtis impetitiones metuamus? Cùm externos conatus, qui remorari potuiſſent, aut differre Imperium Sereniſsimo, Regni fælicitas & bona fata viciſſent. Non alius enim Regi optimo autor & Dux, ad ſuſcipiendam & aggrediendam Regni moderationem extitit, quàm ſupremus omnium moderator Deus. Quapropter idem furentes, & violentos hoſtium conatus amollietur, qui voluntates & ſtudia liberi po-

puli ad Serenissimum inflexit. Sed neq; solùm hominum, voluntates vt ne à tali Principe dissentirent adduxit: sed etiam ipsam rerum naturam, eius honoribus insignem & rarum in modum ornandis, fecisse videtur obsequentem. Nam cùm plerumq; illud tempus, quod electioni datum erat, cæli & aëris paulò, horridiori permutatione, aut fædis imbribus, aut perfrigida tempestate omnia efficit acerbiora: interea cùm grauissimæ illæ cælo aperto & patente campo haberentur cõsultationes; ita grata & non commutabilis clementioris cæli constitit tranquillitas, vt esset non ad publicam tantum necessitatem valdè quàm oportuna, sed etiam ad hilaritatem amænissima: & fidem faciat antiquam illam rebus communibus lucem, & tranquillitatem hoc Rege fælicissimo restitutum iri. Hic etiam limpidissimus lucis perennis fons, mundi oculus sol, legem quandam sibi videbatur præfiniuisse, ne noceret ardentior: nunc certasse, ne Maiestati tantæ obscurior videretur. Posteaquam verò appetijt

dies,

dies, quò consensu, & voce Reipub. vniuersæ denunciandus foret Serenissimus; cùm nebulis crassioribus, & caligine offusa promus iste lucis fæcūdissimus obtexeretur: vt afforet tanto Principi declarando, vt vocem illam congruentem Amplissimi Senatus & Nobilissimorum Ordinum præsens exciperet, cæcam & obsistentem caliginem eluctatus, clarissimè in oculis omnium effulsit. Quò pacto non dubiam omnibus spem iniecit, illustrandum ampliùs hoc Rege fælicissimo nomen Polonum, atq; ex turbulentissimis illis Reipub. temporibus, ex caligine horridiore exoptatam patriæ lucem exorituram. Quid enim lumen suum occuleret, aut iucundum obnuberet tenebris conspectum? immortalis testis laborum & periculorum Serenissimi? spectaret hostes patriæ grauissimos, virtute Serenissimi pulsos & fugatos, & amplissimæ isti virtuti ornandæ, præsentiam suam inuideret? Nobilissimus hic index & auspex Regum, non solùm ad discernenda & definienda tempora diuinitùs constitutus,

ſed etiam ad ſignificationem aliquam, & præſagia de Principibus capienda, cælo affixus, Regiæ Maieſtati defuiſſet? non pari ſtudio, & officio voluntatem Dei ſupremam in declarando Rege fælicißimo proſequeretur: Diffulſit ergo clarißimè, diſsipauit officientes lumini nubeculas, vt oſtenderet Sereniſsimum fruſtra fortuna & inuidia obnitente, ad ſummum rerum humanarum faſtigium euaſiſſe. Tantùm oppoſitæ veræ virtuti voluntates officiunt, quantùm ſoli atræ nubes còáctæ, cuius amænißimum lumen ad tempus differri poteſt, extingui non poteſt: vbi nitidißimum mundo exerit caput, leues illæ vmbræ, in auras & tenues abeunt ventos. Diluxit iucundißimè, vt luce palàm teſtaretur victorem, hoſtium patriæ communium: vt Sereniſsimo Regna & Prouincias plures ex hoſte fæliciter obtinendas denunciaret: atque eam dignitatem gratularetur, qua nihil ad nitorem pulchriùs, ad altitudinem magnificentiùs habetur. Lumen eſt ſuæ gentis clarißimum; quid lumini foret cum tenebris?

nebris? ſplendor eſt totius Chriſtianitatis; quid cælo inamæniore, tàm diffuſa & per omnes populos propagata gloria, inobſcuraretur! Certis aliquando cancellis non nemini definitus & circumſcriptus in terra ſol, atq; ter in ſinum hauſtus, Regnum Macedoniæ voto non ambiguo neq; erronea pollicebatur expectatione; apertiſsimo campo, atq; cælo fulgentiſsimo, diſsipatis & fugatis, quæ obſiſtebant lumini ſuo inuolucris, pulcherrimè ad ſpeciē exoriens nihil portendat? Equidem fæliciſsimè denunciat victorias, gloriam, fælicitatem Sereniſsimi, non his quibus ſol aut Oceanus terminis, definiendam, ſed cum immortalitate adæquandam: oſtendit Regem, qui omnes ſublimi deuinciat autoritate; declarat Patrem patriæ, qui ſibi ſubiectos populos, multiplici comprehendat beneficentia: cuius ſiue Prudentiam ſpectes, ſumma, ſiue famam, celebratiſſima, ſiue hominum ſtudia, hæc in eum inclinatiſſima ſunt; qui velut fulgentiſſimus ſol inualeſcentibus rerum omnium tenebris, magnoperè ex-

petitus illuxit. Insuper effulsit, vt denunciaret tranquillum Serenissimo dominante futurum Regnum: Cùm non alia est species quieti & moderati Imperij, quàm sereni cæli, & iucundè in oculis hominum splendentis. Quid cùm sacrosancto iusiurando Ecclesiæ & Patriæ Serenissimus se adstringeret; quanta interea populi ad eam rem spectandam, & beneficum Regem consultandum confertissimi, hilaritas lachrymatione permista? quæ lachrymæ pietatis & gratitudinis indices fuerunt, non doloris. Insignis ille belli & pacis artibus florentissimus in Repub. Romana Cato, in tantum studia suorum ciuium, atque omnium Ordinum deuinxerat, vt cùm stipendijs confectis ex Macedonia reuertisset in vrbem, omnes omnium hominum conditiones & status, non votis eum & præconijs tantùm, sed etiam lachrymis & complexibus prosecuti: vestes etiam pedibus eius, quâ pergeret substernentes, & manus deosculantes. Erepto ex hostibus Minutio, atq; suis reddito militibus, in tantam lætitiam ca-

stra

ſtra effuſa ſunt, vt præ gaudio lachrymis temperare non potuiſſent, Poſteaquàm fama fæliciſſimè diuulgaſſet, Sereniſſimum congruentibus Ampliſſimorum Ordinum ſtudijs Electum & renunciatum; omnes quicunq; hoc Regno continentur ſtatus, lætanti animo, & ſpe benignioris fortunæ cõfirmati, vocem & lachrymas non potuerunt continere. Cùm audirent eum in ſolio auito ſeſſurum, cuius officia ſumma in Rempub. conſtitiſſent: cui neq; ſedulitas in conſilijs de Regno capiendis, neq; in periculis à Regno propulſandis animus; neq; pro Regni commodis augendis, voluntas vnquam defuiſſet.

Quamobrem cùm Sereniſſimo & Proauorum ac Parentum ſanctiſſimorum, & anteactorum eius operum memoria glorioſè ſuffragata eſt: ſi talis tantuſque Rex, ſupremum iſtum & Diuinum in terris honorem auſpicatò adijt, de cuius virtutibus ſanctiſſima apud omnes homines ſit exiſtimatio: qui iucunda diuturnaq; nominis ſui, & victoriarum, non ſolùm domi

suæ, sed etiam apud Potentissimos Reges, longinquissimas nationes defixit monumenta: si in eius Fortitudine, Prudentia, Sapientia, rerum agendarum fælicitate, præsidium Ecclesiæ, & patrię ac fortunis communibus est constitutum; magna spe, & iam multis modis explorata credulitate inducimur, patriam amplissimam, hoc & Florentissimum Regnum, eius inclyta fide, & Regali clementia, non solùm ex consuetudine incommodorum, sed etiam assiduitate molestiarum vindicandum. Incredibilem animorum alacritatem, & lætitiã Macedones publicè testati sunt, cùm Magnus Alexãder apud eos rerum potitus esset, quòd eo fęlicissimè gubernante, belli & pacis artes eximiæ florentes erant futuræ: Siquidem illis eiuscemodi testis & spectator contigerat, qui vt optimè existimare de operis elegantia: ita maximè posset munificè remunerari. Cur non omnibus modis gestiamus, & patriæ consentiente studio gratulemur, quòd talis Rex diuinitùs nobis esset declaratus, qui ita maximus est vt optimus

simul

ſimul habeatur, qui ea eſt rerum magnarum intelligentia, ea ſapientia, ea dexteritate, vt tàm fęliciſſimo dominatu, omnia ſint ad veterem illam fortunam, & antiquum ſplendorem in Regno reuocanda. Equidem hoc ipſum Patrię de Regis Sereniſſimi fælicitate, & clementia, Iudicium & conſenſus Principis populi, inſignis beneuolentiæ Regum potentiſſimorum ſignificatio, nobiliſſimarum nationum teſtimonia honorifica prolixè pollicentur. Et profectò patria, ſi vt eſt ſenſu in tantis recognoſcendis beneficijs non hebeti, ita voce eorum magnitudinem poſſet adæquare, cùm ad complectendum Sereniſſimum Regem accurrit, non aliter profectò loqueretur; quàm verò fæliciſſimam nunc rem ſuam fore, quod in eius fide; Maieſtate, autoritate conquietura ſit, cuius perpetuis præſidijs, cuſtodijs, vigilijſq; hactenus eſſet munita. Nec dubitare ſe, cùm Sereniſſimo, tanti pro re communi labores, ſua ſponte & caritate patria ſuſcepti, iucundi fuiſſent; nunc iam ſacroſancto iuſiurando, & tantæ Maieſtatis of-

ficio, & conditione fore longè multò gratiores. Intelligit perſpicuè Sereniſſimum, cùm ante hac ſumma neceſſitudine ſibi obſtringeretur, officij verò neceſſitate, ad tàm inſignes res gerendas non impelleretur; tamen aſſidua fortunæ communis cura continebatur; nunc ſibi plurimùm bonorum expectandum eſſe, cum tàm ſublimè munus, voluntate nobiliſſimorum Ordinum ſuſcepiſſet. Sentit non iniuria de eius Regijs virtutibus apud omnes populos exiſtimationem habitam ſanctiſſimè, quòd Diuorum Regum, quorum hactenus conſeruata promeritis florentiſſimè ſtetiſſet, iucundam in ſeipſo recordationem & Protectionem ſit expreſſurus. Et tametſi factis eius clariſſimis, vox data eſt, & fama glorioſiſſima, vt ſe ipſas ad omnem immortalitatem, ſine cuiuſquam producant præconio: plurimùm tamen habet momenti apud Ordines Ampliſſimos, de maximis promeritis, & rebus gloriosè geſtis perſuaſio. Validiſſimus & diuiniſſimus hic amor eſt, quem Regnum vniuerſum, & ſubiecti populi, erga vnum aliquem ob virtu-

ob virtutem eius concipiunt. Habes Serenissime (Patria inquit) sufficientem gloriam, & fidem tot periculis cognitam, ad ducendos quolibet tuorum Ciuium animos, qui non magis bellica tessera, quàm perpetuo & hereditario Regum suorum studio, & affectu, etiam victoriæ & laudis cupiditate, vel ad mortem ipsam animantur magis, quàm tubarum sono. Et cùm, Te maxima tot triumphorum gloria orbi vniuerso didita admirandum fecisset, cum belli & pacis artibus florentissimus sis, ad immensam hanc rerum fælicissimè vbiq; gestarum cumulus accedat extremus, Academiæ Cracouieñ Regia Clementia conseruandæ. Quæ cùm Tuæ Prudentiæ & Sapientiæ meminit, hac se vnica sustentat spe: hæc habet vel maxima in calamitate solatia, quòd Tuæ Maiestati semper supplex & fidelis fuisset, quòd nomen tantùm in Te, & in sanctissimo Proauo Tuo VLADISLAO IAGELLONE sanctè & religiosè coluisset. Patere Serenissime Rex, vt quod Diuo IAGELLONI benefica voluntas, aut or-

nandæ patriæ necessitas suasit, Tibi pietas in supplices, literarum amor, & tuendi sanctissimi VLADISLAORVM nominis persuadeat autoritas. Sit hoc inter maxima sanctissimi Proaui Tui in Regno isto collocata monimenta, vel vnicum pignus caritatis in Patriam, vt cùm ille armis & militari gloria Regnum illustrasset, etiam literarum cultu, volebat esse insignitum. Conserua huic Regno quantumcunq; istud sit literarum domicilium, quod fontem omnis eruditionis & virtutis perennem, gemmam preciosam, Vniuersitatis Parisieñ filiam, sanctissimus VLADISLAVS esse voluisset. Cuius ea fuit in literas pietas, quòd grauissimo, & formidolosissimo bello, dùm altera propè porta hostis in Regnum se infunderet, altera Opt: & Max: Rex, ornamenta hæc literarum induxit, vt eo ipso tempore, ex hostium oppressa audacia, & immani barbarie triumpharet. Nè patiare Sapientissime Rex, hanc pacem, hanc tranquillitatem, cùm Deus hostes tuos & patriæ sustulisset, illo bello acerbiorem videri. Sed cùm

victricem

victricem manum, tot triumphis nobilitatam vniuerſo Regno & Pruſſiæ hoſtili perfidia occupatæ porrecturus ſis, eandem Academiæ, quæ ſimilem quandam fortunæ commutationem & varietatem, non ſolùm cùm ea prouincia, ſed cum toto Regno habet, porrige ſalutarem. Tendit ad Te iſtas manus Tua Academia, quas ſolennibus ſacrificijs trimeſtri intermiſito interuallo, pro ſucceſſu Regni, atq́; Ordinum Ampliſſimorum, religioſiſſimo ritu, ſuis fideliſſimo & gratiſſimo animo recenſendis benefactoribus, ſuorum hominum & iuuentutis nobiliſſimæ frequentia imperata, ad Deum ſupplices tendit; & Sereniſſimis Regibus in ſingulos dies raro & imitando exemplo, proſperitatem, ſapientiam, & de hoſtibus victoriam, cælitùs implorat. Tàm longinqua ætate, modicis & anguſtis impenſis laboratum eſt hic, eò ingenio quòd naturæ atq́; cælo, ea pietate quam patriæ & officio, ea fide, quam parentibus, pignoribus eorum educandis quiſq́; deberet: vt exotica ſtudia, non tàm ſciēdi neceſſitate, quàm

videndi cupiditate, ſumptu immodico, ſed valdè quam tenui fructu, ſemper quærerentur. Quod reliquum eſt cùm ſupremam tecum in terris poteſtatem Deus Optimus partitus ſit, ille maxima pro communi ſalute, atq; Eccleſiæ & patriæ feliciſſimo ſtatu, ſuſcipiēda negotia, euētu proſequatur ſecundo. Vt cùm naturæ ſatis, gloriæ ſatis vixeris, & patriam quæ exterorum violentia armorum, & impietatis machinis oppugnatur, tot fluctibus & naufragijs conſeruatam, incolumem in portu collocaris; tantorum plenus meritorum, æuo beato glorioſus perfruaris. Hoc Patria, hoc omnes boni, hoc exterorum populorum in Te & Regnum hoc ſumma ſtudia, enixè vouent & precantur.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, Anno Domini, 1633.